

Plena sit commerciorum libertas et transitus ubique locorum terra marique tutus, adeoque ea omnibus et singulis utriusque partis foederatorum vasallis, subditis, clientibus et incolis, eundi, negotiandi, redeundique potestas data sit, virtuteque praesentium concessa intelligatur, quae uniuersae ante Germaniae motus passim competebat, quos etiam magistratus utrinque contra iniustas oppressiones et violentias instar propriorum subditorum defendere ac protegere teneantur. Capitulationes Caesareae hanc ipsam libertatem omnibus Germaniae ciuibus et incolis datam itidem sanciant⁵⁾. Eademque est legum priorum mens et ratio⁶⁾. Quanquam autem in legibus imperii publicis semita iterue nautis non assignatur in ripis, ex mente tamen et ratione istarum legum patet, fluminum accolae illam ipsam seruitutem, nauigationis et utilitatis publicae causa pati debere, quod sequenti capite illustrabitur.

At enim nautarum etiam est, ut parcant, quoad fieri potest, proprietati alienae, ideoque variae eorum sunt obligationes, prima quidem, ut ne viam tritam atque itineri assignatam excedant aut alio dirigant, quam adhuc factum est, aut latius, quam necessitas vehendi nauem exigit, expectentur. CELSVS libro V. digestorum ait⁷⁾: *Constitit, ut qua primum viam direxisset, ea demum ire, agere deberet, nec amplius mutandae eius potestatem haberet, sicuti Sabino quoque videbatur, qui argumento riuu utebatur, quem primo qualibet ducere licuisset, posteaquam ductus esset, transferre non liceret, quod et in via seruandum esse verum est.* Quare antiquam formam modumque pristinum in semita riparum esse seruandum censeo, cumque certa itineris illius latitudo legibus definita non est, eam esse latitudinem puto, quae demonstratur, quod si vero nihil dicatur, hoc boni viri arbitratu statuendum.

5) Art. VIII. §. 6. et 7.

6) Pax publ. an. 1548. §. 1. Rec. Imp. an. 1555. §. 14. De libertate autem fluminum publicorum dixit GRASSIVS in MOSERI Synt. diff. iur. publ. p. 424. et imprimis HORIX, VIR ILLUSTR. apud HARTLEBEN. Thes. Diff. Mogunt. Vol. I. P. II. p. 151. Mandata sine clausula decerni, si quis nauigationem fluminum publicorum impediatur, Blumius, Cramerus, Moserus pluresque alii monuerunt.

7) L. 9. D. de seruitutibus.